



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus XXII. De Clericis peregrinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

TITULUS XXII.

De

Clericis peregrinis.

QUÆRES 1. Quinam hoc titulo à ministerio altaris repellantur? Resp. Clerici peregrini, id est, ex terra longinquâ venientes, qui quidem ordines susceperunt, testimonio tamen suscepti ordinis carent; cum enim ordines nec in fronte appareant, nec ex solo habitu clericali præsumi possint, hinc à ministerio altaris arceri debent, omnes qui se clericos asserunt, attestata tamen susceptorum ordinum non habent, idque propter periculum fraudis, quæ subesse posset, & à malitiosis hominibus quandoque praticari solet.

QUÆRES 2. Quale debeat esse testimonium, ut fidem faciat pro exhibente? Resp. Si clericus ex terrâ valdè longinquâ advenerit, testimonium quinque episcoporum subscriptionem requirit, *cap. 1. & 3. h. t.* Idque de jure decet alium. hodie verò observandum est decretum Concilii Tridentini, quod *sess. 23. cap. 16 de reform.* generaliter statuit, nullum clericum peregrinum, sine commendatitiis sui ordinarii litteris ab ullo episcopo ad divina celebranda & sacramenta administranda admittendum esse, ut adeò hodie testimonium à proprio episcopo subscriptum sufficiat, cum olim fidem non fecerit, nisi quinque episcoporum subscriptione roboratum esset.

H

TITUL